

Ergo corvi abstinere solent etiam in siti, et appetitum refrænare, cum potum sibi noxium sciunt: quid igitur excusationis afferet homo; qui, tametsi sciat sibi nocere potum immoderatum aut potentem, nequaquam tamen se continet? Corvi abstinentiam pulchre imitatus fuit David, II. Reg. XXIII. cum desiderasset aquam de cisterna Bethlehem: eam enim, cum a tribus viris præsentis vitæ periculo allata esset, effudit, ne videretur eorum sanguinem bibere. Similiter Alexander M. cum, sitiente exercitu, sibi soli allata esset aqua, noluit bibere, ne militum patientiam frangeret, Curt. lib. VII. Jam vero potus nimius frangit vires animæ et corporis; quomodo igitur homo, corvo imprudentior, non se vincit ut absteineat?

Secundo, deinde novit corvus quærere sibi pharmacum, si forte cibo valetudine offendit: eccur igitur homo gula et ebrietate læsus remedium sibi non quærat? Illud vero non est sola confessio, quæ habitus non evellit, sed in futurum etiam cautela. Prævidet corvus damnum, quod sibi afferret potus haustus in profluvio: cogita tu damnum quod afferret tibi ebrietas, alias ad iram et libidinem proclivi.

Denique, si nil aliud nos absterret, solum Christi Domini serium præceptum, Luc. XXI. sufficeret: *Attendite vobis ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitæ et superveniat in vos repentina dies illa. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes*, q. d. sicut aves dum incaute pabulo, ab aucupe sibi insidiose proposito, se ingurgitant, repente laqueo capiuntur: sic eveniet ebriosis. Jam vero nonne corvi ad præceptum Dei absteinebant a cibis, sibi etiam gratissimis, et in magna quidem fame, tempore Eliæ? II. Reg. XVII. Ibi enim dicitur Deus præcepisse corvis ut pascerent Eliam: et tulerunt illi singulis diebus mane panem et carnes; quas, nisi obstitisset Dei præceptum, utique in via centies ipsi devorassent. Jam ergo corvi obediunt Deo, et abstinent famelicis a tam grato cibo; et homo dicat: Non possum abstinere!

III. In eorum docilitate. Quis enim credat corvum, qui alioquin vix emeretur obolo, ita institui posse, ut 20000. florenis ematur? At hoc factum esse magni auctores referunt: Ælianus, Plinius, Perrottus et alii. Cum enim Augustus imperator ex Actiaca victoria Romam ingrederetur victor, occurrit ei inter gratulantes quidam corvum tenens, quem docuerat proferre hæc verba: *Ave, Cæsar, victor imperator*. Miratus Cæsar tam officiosam avem, viginti eam millibus emit, multasque præterea similes comparavit. Quo exemplo motus pauper sutor instituere

quoque ipse aggressus est corvum ad parem salutationem; sed impendio exhaustus, ad avem non respondentem dicere solebat: *Opera et impensa perit*; seu, ut Ælianus refert: *Oleum et operam perdidit*. Cœpit tamen corvus aliquando optatam salutationem exprimere, qua forte edita, dum Augustus transiret, responderetque: *Satis talium saluatorum habeo domi* superiit corvo memoria ut et illa, quibus domium querentem solebat audire, verba subjungeret: *Opera et impensa perit*. Ad quod subridens Cæsar, emi avem jussit, quanti nullam aliam emerat, Gesn. ex Perotto. De alio scribit Plinius, lib. XIX. cap. IV. qui ex nido pullus in officinam sutoris devolarat, et mature assuefactus sermoni, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus Tiberium, dein Germanicum et Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutabat, postea ad tabernam remeans. Qui postea a mancipe occisus a populo Rom. super humeros duorum Æthiopum in constrato lecto, præcedente tibicine, et coronis omnium generum, ad rogam elatus fuit; manceps vero regione pulsus, mox et interemptus.

Jam, si hoc in corvo potest Dei providentia, quid non poterit facietque in homine, si bene institutus fuerit? Quid homo rudis et omni disciplina destitutus, nisi inutilis corvus, ad vocandum et conquirendum sagax, nec aliud sciens nisi suum cras? At si a teneris instituatur, quantus evadet, quantique a mundo æstimabitur et principibus, si nimirum Latinis litteris, bonisque artibus imbuatur, et imperatores salutare, et obsequio suo sublevare possit? Verum uti corvi pullos jam plumatos e nido expellunt; ita parentes liberos cito a se depellere et aliorum disciplinæ etiam in extera regione subicere debent, ut tales evadant. Id fecere Isaac et Rebecca, quando filium suum Jacob miserunt in Mesopotamiam ad serviendum maximo ejus bono; nam et in itinere viam cœli in scala didicit, et in domo Laban ab angelo instructus est, quomodo gregem ovium copiosum sibi comparare ac ditari posset, uti colligitur ex Genes. XXXI. vers. XI. Unde ipsemet post miratus dixit: *In baculo meo (id est, pauperculus) pertransivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, Genes. XXXII. Sic nimirum filii, si angelorum, id est, honorum magistrorum, disciplinæ commendentur, cum duabus turmis revertentur, edocti viam cœli, et simul artes liberales, quibus magni etiam in mundo et divites evadent. Quam multi passim sunt, qui domi ex vasis ligneis et figurinis comedere buccellam suam debuissent, qui per institutionem bonam in litteris et bonis mo-

ribus evaserunt magni consiliiarii principum, barones quoque et comites, comeduntque nunc et bibunt ex auro et argento? Quorum mors communem luctum creat reipublicæ? Quorum nomina clarent post mortem?

IV. In eorum partu. Pariunt enim semper ante vernum tempus, martio mense, quia metuunt tonitrua, utpote sibi noxia, quæ ejus ova perdunt, teste Alberto Magno. Quanta hæc providentia corvo a Deo collata. Et quid docet nos, nisi ut similiter opera bona pariamus, foveamus et excludamus ante mortis tempestatem, ubi propter horrenda tonitrua difficillimum erit bene operari? Ita monet Ecclesiasticus, cap. XVIII. *Ante judicium para justitiam tibi*: moxque id declarans, addit: *Ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem*. Ante morbum medicina optima est diæta, et temperantia: sic Christiano ante diem mortis et judicii optima provisio, facere bene et abstinere a malo. Ut ergo sanus facile se conservat servando diætam, ægrotus vero difficulter sanatur; sanus facile operari bene, æger difficulter potest: ita operandum bene ante mortis tempestatem. Quid enim agent reprobi in ea calamitate, cum audient tonitruum illud a medicis: *Moriendum est*? Quale illud: *Uxor, chari liberi, amici, mundus deserendus est*! Quale illud: *Ad tribunal Dei eundum est*! Quale illud: *Ad æternitatem seu felicissimam, seu miserimam migrandum est*! Cujus ova, vota et desideria pia non frangantur hac tempestate? Vidit hoc Eliu amicus Job, qui in I. Job. cap. XXXVI. ait de improbis: *Moriatur in tempestate anima eorum*. Moriuntur in tempestate qui naufragio in undis pereunt, et hi quomodo tunc cogitare de salute et bonis operibus possunt: moriuntur in tempestate qui, velut poma immatura, a tempestate et ventorum vi violenter abripiuntur; eujusmodi poma abjiciuntur ut inutilia vel dantur porcis, quales sunt qui nihil pararunt bonorum operum, sed habuerunt dies vacuos, ducendo eos in bonis. Poma matura nulla difficultate sequuntur manum carpentem et mensam dominorum exorant; ita qui pleni dierum et meritorum hinc discedunt, manu domini suaviter decerpuntur, et ad mensam ejus deferuntur.

Omnium sententia corvi sagacissimi sunt in præsentendis ac præagiendis tempestatibus, quas et certis vocibus prænuntiant, sibi que consulunt, densas involando arbores. Quid igitur? *Milvus in cælo cognovit tempus suum: turtur et hirundo et ciconiæ custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini,*

ait Jeremias, cap. VIII. Addamus nos et corvum. Videmus nos tendere ad senectam, aliquos pedem jam in sepulcro habere: videmus passim juvenes æque mori ac senes; et tamen non consilium saluti nostræ. Considerate ergo corvos.

## CONCIO III.

HOMO QUALIS SIT, LILIA OSTENDUNT.

I. Ostendunt quid sit hominis vita. — II. Quid sit nobilitas, honor, dignitas. — III. Quid sit forma et pulchritudo corporis et vestium splendor. — IV. Quid sint opes ac divitiæ.

## THEMA.

*Considerate lilia agri*. Matth. cap. VI.

Genes. XXIV. legimus Isaacum, dum expectaret e Mesopotamia desponsatam sibi Rebeccam, exisse in agrum ad meditando. Denique, dum in eo opere se exercet, venit in occursum ejus Rebecca. S. Ambros. I. de Isaac, c. I. et III. ait hoc idem esse sapientis, qui ad spirituale cum Christo connubium aspirat, ut subinde de corporis cura exeat, animamque elevet per meditationem, hoc est, hominem se cognoscat. Hoc vero ubi melius discet, nisi in agro seu campo, considerando flores, quo nos remittit Christus in hoc evangelio, dicens: *Considerate lilia agri*. Quoniam igitur et nos expectamus sponsam cœlestem, gloriam videlicet, exeamus hodie in agrum, et meditemur aliquid ex libello florum, ut discamus quales simus et qui vivere debeamus.

I. Docent quid sit vita hominis, flos nimirum unus. Ita Ps. CII. dicitur: *Homo sicut fenum dies ejus, tamquam flos agri sic effloret*. Primo, florum vita brevis est, durans uno vix mense, ita et vita hominis. Ac sicut lilium non floret toto tempore quo in agro est, sed uno alterove die postea elanguet; sic homo non per omnem ætatem floret vigore, specie, opibus, deliciis, honoribus, sed modico valde tempore. In infantia et pueritia debilis est, insipiens, pauper, et talis iterum evadit in senecta. Unde Jacob dies vitæ appellat *parvos et malos*; paucos scilicet, detractis iis, quibus quasi non vivebat in ærumnis et calamitatibus, Gen. XLVII.

Secundo, florum vita instabilis et varia est: initio enim clausi sunt et nodi; postea se aperiant et rident quasi; denique, languent, corrugantur, concidunt et tabescunt, coloremque mutant: sic et vita hominis varia est, jam pulchra, mox deformis; jam vegeta, mox debilis;

jam felix, mox infelix; jam læta, mox tristis. Et ut flores a vento perpetuo fere moventur, sic homines a fortunæ casibus.

Tertio, florum agri vita incerta est: sæpe enim demetuntur in pabulum pecoris, priusquam efflorescant, vel calcantur aut depascuntur; cum tamen flores hortorum expectentur, donec deflorescant. Sic se habet vita hominum: nescit finem suum; unde dicitur de exercitu Sennacherib, una nocte deleto: *Facti sunt velut fœnum agri, et virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem*, IV. Reg. XIX. Ita enim multi in ipso flore juventutis, postquam ceteras nationes viderunt et linguas didicerunt, postquam studia sua absolverunt, demetuntur falee mortis, et spem parentum fallunt.

Quarto, florum vita fragilis est. Sole et gelu exuruntur, vento exsufflantur vel franguntur, carptæ manibus tabescunt, tandem per se concidunt, nullo demetente. Et quid fugacius vita hominis? Unde sequitur in Psal. cit. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet*. Aura pestifera necat homines quantumvis robustos, sol vulnerat, haustus aquæ frigida lædit. Quinimo quotidie sensim emoriuntur; unde bene fœnum appellantur: *Si ergo fœnum agri quod hodie est, etc.* Hinc populi Rom. duces singularium centuriarum, manipulum fœni conto affixum præferabant, Romulo institutore; inde milites manipularij dicti, Plut. in Romulo. Sic verificatum Dei verbum: *In quacumque die comederis, morte morieris*. Quinam ergo fieri potest, ut homines mortis suæ obliviscantur et delicientur in his perituris rebus, saltent, rideant, ludant, dum gladius et falx mortis ipsis impendet? Dum messor a tergo stat? Quis non potius ad æternitatem attendat, spreto isto puncto?

II. Quid sit nobilitas, honor et dignitas, flos nimirum mox futurus fœnum, et similis infimæ sorti. Unde Isaias clamare jussus, c. XL. *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum et cecidit flos*. Secundum Sanchez et alios ibi, loquitur de Chaldæis, qui tum potentia et viribus præcellabant et dominabantur orbi; consolans Judæos ne de sua liberatione de eorum captivitate dubitent, siquidem Chaldæi, licet tam potentes, nonnisi fœnum et flos sint. Dum in agro vel horto virent flores, magna inter eos cernitur differentia, colorum, odorum, virtutum, magnitudinis. At ubi demessi sunt et aruerunt, omnes fiunt pares, et promiscue imponuntur curru ut comedantur a pecoribus. Non videntur hoc audire nobiles et magnates; ideo clamandum in aures eorum: *Omnis caro fœnum; omnis, omnis*. Flores ergo nobiles et igno-

biles, licet dum florent multum inter se discrepent, ortu tamen et occasu suo sibi mutuo sunt simillimi, nullo prorsus colore, nullo præditi decore; sic nobilem et ignobilem eadem noscendi et moriendi est conditio. Qui igitur nunc juxta se ferre ignobilem non vult, expectet parumper, veniet tempus cum in sepulcro vel ossium congerie placidissime eum feret.

Secundo, ad hæc, flores quo nobiles, tenuiores et ameniore, eo et fragiliores sunt, ac læduntur citius, atque, ut Plin. ait, l. XVI. c. XV. *Magna (ut palam est) hominis admonitione, quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt, veluti rosa, lilia, violæ, cum alia durent*. Sic quo altiori in gradu dignitatis sunt homines, eo brevioris sunt ævi: communiter sæpius item ægrotant magnates quam plebei, et citius moriuntur. Patet experientia in summis primis pontificibus, quorum plerique paucis annis regnant, adeo ut nullus annos Petri, viginti quinque scilicet, adhuc attigerit, quandoque etiam duo vel tres intra unum annum sederint. Unde in eorum inauguratione inter alias cæremonias stупpa coram eis accenditur occiniturque: *Sic transit gloria mundi*: item: *Beatissime pater, annos Petri non videbis*. Nec multo diuturnior vita imperatorum fuit, quorum tres aliquando anno Christi 78. successive regnarunt: Galba, Otho, Vitellius. Hinc, ut arbitrator, Rom. imperatoribus, dum inaugurantur, pomum aureum in manus datur, ut memores sint fragilitatis vitæ et imperii sui, quod pomi instar cito putrescit, juxta id Job IX. *Dies mei pertransierunt quasi naves poma portantes*. Similiter Saul alique reges Hebræorum ex lenticula olei inungebantur, l. Reg. X. et IV. Reg. IX. Lenticula autem est parvum vasculum, ad similitudinem lentis factum, indicans parvum et breve fore eorum imperium, uti de Saul explicat S. Gregorius M. in locum illum, l. Reg. V.

III. Quid sit forma et pulchritudo, necnon vestium splendor, flos nimirum agri fragilissimus. Testatur hoc etiam, Job c. XIV. *Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra*. Umbra quo sit major, eo nocti et fini suo est propinquior: sic qui spectatissime florent, celerrime marcescunt, magna hominum admonitione, ait Plinius, supra cit. Hujus miserie experimento edoctus Job, cum prius tres filias repente perdidisset, ruina domus obtritas; et post tribulationem accepisset tres alias, tam speciosas, ut similes eis non reperirentur in terra (Job ult.); ne de forma insolescerent, imposuit eis nomina rerum admodum fugacium: primam vocavit *Diem*, secundam *Cassiam*, ter-

tiam *Cornustibium*. Quid die una fugacius? Quid cassia, odorifero frutice, qui ab uno verme eroditur? Quid cornustibio, seu pigmento, quod flatu uno vel aura perit? Hinc etiam feminæ multæ, formæ elegantioris, a plantis nomen acceperunt, uti *Thamar*, id est *palma*; *Esther* dicta *Edessa*, id est, *myrtus*; *Susanna*, id est, *lilium*; et nobilis illa puella (Actor. XII.) in domo Joannis Marci, *Rhode* dicta, id est, *rosæ frutex*; ut admoneantur omnes, quam labilis et fugax sit forma corporis, quæ sicut flores unica pruina exuruntur, sic et ipsa fugit. Hederam Jonæ unicus vermiculus exedit una nocte, unde in Hebr. de illa dicitur: *Filia noctis fuit, et filia noctis periiit*. Ex floribus ergo et loliis discant speciosi non efferre se aut placere sibi, sed timere potius et humiliari. Anno Domini 1360. in civitate Hisp. Granata, puella quædam pervenustum cario-phyllorum fasciculum, ab amatore missum, in vasculum aqua plenum indidit. Inde quoties ad orandum se conferret, diabolus menti ejus fasciculum ingerebat. Indicat illa hoc confessario, qui mandat abjici fasciculum, velut illecebram turpitudinis. Promittit puella, sed domi pulchritudine florum devicta, post luctam usque in multam noctem protractam, pareit tam decoris floribus: postridie evigilans primam cogitationem de cariophyllis suis suscepit; sed dum mox a lecto oculos ad eos convertit, ita aridos fœdosque videt, quasi igne perusti videntur. Hac fugacitate florum conspecta, omnem e corde suo inordinatum amorem et memoriam simul amatoris expulit. Refert p. Fr. Saechinus, in Lainio. Disce hinc et tu, Christiane, spernere venustatem. Addo, vestium splendorem ne tantum quidem esse, quantus est liliorum, teste ipso Domino nostro. Itaque quis amare vel magni æstimare queat vestium pulchritudinem, quæ si vel Salomonis sit, floris decorem non adæquat? Nam primo, flores ornatum habent vivum, a propria natura: Salomon et Salomonici mortuum et sæpe fucatum, ab aliis creaturis emendicatum; sericum a bombycibus, laneas vestes ab ovibus, pelliceas a lupis, vulpibus, martibus, mustellis, calceos a pellibus boum vel equorum, chirothecas a canibus aut ovibus, gossipium ab arboribus, indusia a lino, pileum a lutrarum pilis. Secundo, florum ornatus nihilo eis constat seu pretio seu labore, nec gravat aut constringit eos, uti solent vestes. Tertio, florum decor tam varius est, ut nemo tot varietates vestium excogitare queat. Quarto, flores odorem ex se nativum, varium et gratiosissimum spirant: nullum omnino vestes, aut nonnisi fucatum et fictum ha-

bent. Jam si pudore affecti fuerunt magni Pharaonis, quod omnibus suis artibus ciniphes seu culices efficere non possent (Exod. VIII.) quomodo non pudet superbos vanæ suæ industriæ in corpore comendo et poliando, quia nec unius floris adæquare pulchritudinem queunt? Certe in quibusdam Italiæ civitatibus consuetudo apud nobiles invaluit, ut quia factum plebeiorum superare non poterant, vilioribus se vestirent, honestis tamen, uti camelotto, ut inde noscerentur. Cur non ergo et alii vilioribus se vestiant, siquidem unius floris decorem vincere nequeunt?

IV. Quid sint opes ac divitiæ; flores scilicet et lilia agri, quod testatur S. Jacob, c. 1. *Dives sicut flos fœni transibit. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperit: ita et dives in itineribus suis marcescet*.

Primo enim, sicut flores ardore solis, gelu, attractione, facile pereunt; ita et divitiæ pereunt sæpe incendio, naufragio, rapina. Refert Lipsius, lib. II. de Constantia, Belgam quemdam tulipam unam (rarum tunc eo loci florem) ab alio mille aureis emere voluisse, alterum dare noluisse, sperantem ex una illa plures alias; sed en sequente nocte a sorice exesa est, et periit; sicque dum speratur majus lucrum, simul omne perit. Quam multi congerunt opes, frumentum, vinum, merces alias, quæ, dum lucri augmentum speratur, pereunt! Frumentum vermes gignit et avolat, vinum degenerat et acescit, aurum rapitur, domus conflagrat.

Secundo, flores fœni, seu gramen, dum virescit, dulce est; cum maturescit, amarescit. Unde Caro suasit: *Fœnum ne sero seces*. Sic opes in hac vita dulces; at in morte, cum relinqui debent, amaræ fiunt. Hinc Eccles. c. XLI. exclamat: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Noli ergo sero secare hoc fœnum, quando scilicet moriens cum amaritudine relinquere opes debes; sed mature eas bene et utiliter expende, ut de hoc gaudeas in morte.

Tertio, flores fœni oculos implent, ventres hominum non saturant: ita opes non satiant stomachum divitis, sed fere oculos tantum. Avarus numerat pecunias, ponderat aurum, expendere non aude; sed aliis thesaurizat. Constans II. imp. cum exercitu Romam venit, specie amici, quasi sedem more antiquorum ibi positurus; verum octiduo urbem deprædatus est, et quidquid fere in urbe ornatus fuit, abstulit. Inde cum præda in Siciliam secedens, in balneo interfectus, et omnis ejus præda a Saracenis

Panormum tendentibus direpta et in Africam delata est, Cuspinian. et Fulgos. lib. VII. c. IV. Bene ergo Ecclesiastes, capite VI. *Est et aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit divitias et substantiam etc. nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.*

Quando igitur vidimus et didicimus ex parvo florum enchiridio quinam et quales simus, exeamus cum Isaaco crebro in agrum, et meditemur in hoc libello: inde fiet, ut nos ipsos agnoscentes, vitam optime componamus, fietque absque dubio ut in ista exercitatione perseverantibus occurrat nobis sponsa nostra, cælestis gloria.

## CONCIO IV.

LILIA, SEU FLORES, DEUM NOBIS OSTENDUNT.

I. Ostendunt Dei potentiam. — II. Ostendunt Dei sapientiam. — III. Ostendunt Dei pulchritudinem. — IV. Ostendunt Dei bonitatem. — V. Ostendunt paternam Dei providentiam.

## THEMA.

*Considerate lilia agri. Matth. VI.*

Duo sunt potissimum homini christiano seitu necessaria, teste Augustino, libro II. soliloqu. cap. I. dicente: *Deus meus semper idem. Noverim te, noverim me.* Confirmat hoc idem seraphicus p. Franciscus, sic orare solitus: *Domine, quis es tu? Et quis sum ego?* Denique, utrumque exposuit ipse Christus Dominus quando S. Catharinæ Sennensi, (ut in ejus vita, c. XXII. apud Sur. 29. april.) apparens dixit: *Si nosti, filia, quis sum ego, et quæ tu, beata eris. Ego sum qui sum: tu es quæ non es.* Duas has notitias divinæ majestatis et nostræ vilitatis unde nos petemus? Non procul eundem est; ad evangelium hod. recurremus: *Considerate lilia agri.* Hæc nos utrumque docent nosse Deum et nos ipsos. Hoc secundum alibi ostendimus, nunc ostendemus primum.

I. Ostendunt Dei potentiam primo, dum e tam parvo et vili semine videmus tantam florum amoenitatem brevi tempore prodire, imo fere e nihilo; quis enim serit flores agrorum et camporum? Quis excolit? Nulla certe humana manus. Ubi eorum semina? Quomodo per hiemem conservantur, quando omnia extincta et mortua jacere videntur? Et tamen, vere ineunte, catervatim protuberant, quasi e sepulcro resurgerent, aut de novo crearentur. Sic nimirum Deus uno verbo omnia e nihilo fecit.

Secundo, dum ex uno eodemque fundo, una

eademque pluvia tam diversa florum varietas, in odore, colore, quantitate, forma, virtute progignitur. Hinc enim apparet quomodo in Deo contineantur eminenter omnes res creatæ et creabiles in infinitum: sicuti in una simplicissima terra per unam simplicem pluviam rigata continetur visseminalis progignendi omnis generis flores et plantas. Quis non stupeat, si ex unico dolio videret educi omnis generis vina, quæ in toto mundo habentur, prout quisque voluisset? At Deus, en tale vas, ut sic dicam, tale cellarium et penus est, unde omnes creaturæ, quæ sunt et creari possunt, nullo negotio, in momento, nullo labore, per ipsius potentiam educi possunt et depromi.

Tertio, eminent flores supra gramen, ut conspicui sint et ornent terram, quemadmodum stellæ cælum, neque lædantur a vermiculis, et ut quasi in perticam erecti monstrent se hominibus; et tamen interim sustinent infracti omnes tempestates, fragilique stylo firmiter insistent. Stylum habent cortice munitum et ita firmum, ut et tempestates ferre queant et ventis cadere. Multi eorum, præsertim nobiliores, soli se obvertunt et cum eo se gyant; eo occidente se elaudunt, oriente aperiunt, quia inde vires et vitam accipiunt: quem in modum, dicebat Alphonsus rex Aragoniæ, aulici et populus accommodant se principibus suis, a quibus fortunam suam expectant. Sic ergo docent nos conformare mentem et voluntatem nostram per omnia cum divina. Uti enim flores a sole, ita nos a Deo et multo magis dependemus.

II. Ostendunt Dei sapientiam. Primo, dum videmus tantam florum varietatem in odore, colore, figura, virtute. Tametsi enim aliis quoque in creaturis mire ludit auctor naturæ, maxime tamen in floribus. Quantus lusus in tulipis solis: sunt omnium colorum, striati, radiati, punctati, variegati, etc. Alii formam calicis, alii patinæ, alii calcaris, alii calcei, alii oris leonini, alii pilei Turcici, alii coronæ imperialis, alii gladii, alii stellæ, alii gemmæ formam referunt. Nemo adhuc inventus est qui omnes florum species, quæ in mundo sunt, indagavit, licet varias terras peragravit. Et hæc tanta varietas ab unico intellectu divino, simul et semel, in momento, nullo labore excogitata et facta est. Qualis illa mens! Qualis sapientia!

Secundo, si consideremus ipsum florum artificium. Jungamus, omnium hominum quotquot in mundo sunt, sapientiam; et faciant mihi florem unum, liliium unum, quale est naturale: non poterunt. Unde Sanctus Ambrosius, l. VIII. hexam. cap. XI. ait: « Considerate lilia agri: quantus sit

candor in foliis, quemadmodum stipata ipsa folia ab imo ad summum videantur assurgere, ut scyphi expriment formam, aut auri quædam species intus refulgeat; quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta ut nulli pateat injuriæ. Si quis hunc florem decerpat et sua solvat in folia, quæ tanti est manus artificis, quæ possit lili speciem reformare? Quis tantus imitator naturæ, ut florem hunc redintegrare præsumat? » Sic ille. Imo si quis ab uno flores vel unum folium decerpat, quis erit tam peritus artifex, qui aliud huic simile facere possit? Qui eorum folia agglutinare et disponere?

Tertio, tria, quæ potissima in lilio sunt, consideremus, virtutem medicinalem, candorem, et odorem; vestigium SS. Trinitatis non obscure intuebimur. Virtus medica, Patris potentiam; candor, Filii sapientiam, qui est: *Candor lucis æternæ et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*, Sap. VII. odor amorem Spiritus s. representat. Quid de flore granadillo, paucos ante annos ex orbe novo allato dicam? Nonne is coronam Christi spineam tribus clavis implexam: nonne quinque vulnera, lanceam et flagella affabre representat, ut merito flos passionis Domini appelletur?

III. Ostendunt Dei pulchritudinem. Quanta enim vel in lilio uno cernitur amœnitas? In eo duplex color et duplex odor est; argenteus color in foliis, aureus in staminibus croceis: alius odor foliorum, alius et staminum. Quanta et in floribus aliis, uti cariophyllis, tulipis, rosis, elegantia et pulchritudo: quis pictor penicillo assequi eam potest? Quis artifex fingendo? Sane, testimonio Domini, nec Salomon in omni gloria sua adæquare ornatum lili potuit. Qualis ergo et quantus erit decor et ornatu creatoris, si tantus est unius vilissimæ creaturæ? Si enim videres in aula regis lixas culinarios vel stabularios, auro, serico, gemmis ornatos ac vestitos incedere, nonne prudenter argueres millies splendidiorem fore ipsius regis ornatum? Si ergo fœnum, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quis erit ipsius vestitus? Et si pavimento carceris in angulo palatii constitutum pretiosis lapidibus stratum cerneret, quid conjecturæ, faceres de ipsa regis aula et conclavi? Qui enim tantam finxit pulchritudinem, quomodo non pulcherrimus erit supra quam cogitari potest? *Qui finxit oculum, non considerat?* ait David, Ps. XCIII. non habebit oculos qui aliis dat et effingit oculos? Non erit pulcherrimus qui omnem finxit pulchritudinem? Unde et Ps. XLIX. ait: *Pulchritudo agri mecum est.* sicut regia vestis non solum continet in se

aurum, gemmas, sericum, ex quibus confecta est, sed etiam per eminentiam, quidquid in nobilium, comitum, principum vilioribus vestibus nitet. Flores, quos ostendit nobis Deus, sunt, quasi frustula minuta a sartoribus decisa e pannis sericis, unde fiunt agni Dei, quos mirantur parvuli. Quid si ipsam vestem sericam vel auream viderent?

IV. Ostendunt Dei bonitatem. Primo enim, quanta bona confert Deus in florem unum? Quam pulchre eum vestit, munit, tuetur, alit, dotat odore et vi medica? Quid ab eo igitur non speret homo? Neque enim flos agnoscit factorem suum, nec gratias ipsi agere potest: nihilominus tamen a Deo sic ornatur. S. Franciscus, cum in itinere obvias haberet aves variorum colorum una cæntantes, inter eas considens, sic eas affatus est: « Sorores aves, multis nominibus creator vester vobis pennas et alas impertiit ad volandum; vobis hæc pura liquentis aeris spatia concessit, vosque adeo liberaliter sinæ vestra sollicitudine pascit ac nutrit. » Ad hæc aviculæ colla tendere, alis gestire, et cantilando gaudium ac gratitudinem suam ostendere, ut in ejus vita S. Bonavent. Idem dicere floribus poterat vir sanctus. Quanto vero majora bona largitus est Deus homini, et quid non paravit in cælo?

Secundo, flores non in alimentum, nec, ut plurimum, saltem in medicamentum, sed tantum in oblectamentum homini a Deo dati sunt: quam bonus igitur Deus! Quemadmodum enim ipse non solum habet esse, sed beatum omnibusque bonis affluens esse; ita voluit dare homini non solum vitam et quæ ad eam necessaria sunt, sed etiam quæ jucunda et delectabilia sunt, ut non solum vivere, sed hilariter et jucunde vivere posset. Si quis ab amico in hospitium exceptus videret sibi non modo conclave, mensam, lectum offerri, sed præterea omnia ad ornatum et delectationem spectantia; conclave ornari tapetibus, pavimento sterni floribus; mensam instrui cupediis, adhiberi musicos; lectum ornari stragulis, apponi vittam et crepidas, odoriferum spargi suffitum, vocari ad conversationem amicos, etc. quis hunc amicum non amaret, non prædicaret? Hæc nobis Deus præstitit. Mundum hunc pulcherrimum et vastissimum in palatium concessit: nubibus ornavit et cæli luminaribus aureis: terram instravit viridi, veluti oculis gratissimo, graminis arborumque colore; mensam omni ciborum apparatus, ut avibus, piscibus, feris, pecoribus, herbis frugibus instruxit: in musicos dedit aviculas et quadrupedum voces varias: florum et